

**Dissertatio inauguralis medica de irritabilitate animali ... / autor et  
respondens Jacobus eberhardus Andreae.**

**Contributors**

Andreae, Jakob Eberhard.  
Gmelin, Philipp Friedrich, 1721-1768.  
Universität Tübingen.

**Publication/Creation**

Tubingae : Typis Erhardianis, [1758]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ezzvtp84>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>





Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30785455>

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
IRRITABILITATE  
ANIMALI.

QVAM

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

IO. CAROLO LVDOVICO

COMITE PALATINO RHENI  
VTRIVSQUE BAVARIAE DVCE rel. rel.  
PRAESIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO  
DOMINO

PHILIPPO FRIDERICO GMELIN,

MED. DOCT. BOTAN. ET CHEM. PROF. PVBL. ORD.  
FACVLT. MED. p.t. DECANO, SOCIET. REG.  
SCIENT. LOND. ET GOETT. SODALI,

SVMMOS IN MEDICINA VT ADIRET DOCTORIS HONORES

D. XIII. NOV. MDCCCLVIII.

HORIS LOCOQVE CONSVENTIS

PUBLICE VENTILABIT

AVTOR ET RESPONDENS


JACOBVS EBERHARDVS ANDREAE, *Stuttgardianus.*

TVBINGAE, TYPIS ERHARDIANIS.

\*\*\*

Nam quis non videt, finitæ si breve corpus  
Subiicitur menti, mens quanta sit illa supremo  
Quæ regit arbitrio vastum, quem condidit, orbem?  
Non poterit, sine consilio tam parua moueri  
Machina, tam fragilis; te iudice; tanta regetur  
Mentis inops! Credant Epicuri de grege porci.

ANTILVCRET.



rimos in arte medica honores meriturus, hoc potissimum ex argumento aliquid proferre volui, quod rei singulari amœnitate capto in illam inquirere iucundissimum videbatur. Ceterum, quæ proposui, non ut noua, sed circa quæ disputandi amplissimus campus esset, proposui. Tam clari equidem Viri hac in materia iam desudarunt, vt eorum inuentis addere, Tironi saltim res ardui aliquantum esset negotii. Neque etiam, vbi diuersam forte a magnis istis viris sententiam soueo, vano obloquendi pruritu id factum fuisse, putandum est. Hæcce eos, quorum interest, vt moneorem, e re visum fuit. Ad rem ipsam progredior:

Musculos eum in finem homini viuo concessos esse, vt motus in corpore nostro necessarios peragant, extra omnem dubii aleam positum est. Videmus certe, musculos agere, dumque agunt, breuiores fieri, eas partes, quibus extremitatibus suis annexi sunt, ad se inuicem adducere, motum fieri.

Adeoque primo talis debebat eorum fabrica esse, quæ ad hoc efficiendum quam maxime idonea esset; hinc vide-mus tendinibus instructos, vbi partes solidiores mouendæ erant; ex fibris compositos carneis, in fasciculos laxe colligatis, flexilibus, non rigidis, quæ in musculo contrahendo flexuofam istam, vndulatam superficiem efficerent. Sed hæc in extinto plane corpore eadem conditio est, iacet tamen musculus, inutilis massa, vti quoduis instrumentum artificis; debet itaque aliud quid inesse viuo corpori principium motus, & certe

Secundo inest omnibus fibris muscularibus corporis animalis viui vis aliqua ipsis propria, ab omni haec tenus cognita proprietate diuersa, qua illæ vel animæ imperio, vel a contactu corporis alicuius externi ad contractionem excitantur; est hæc vis, ex qua omnes in corpore motus pendere videntur, & in qua physiologice saltim vitam ipsam constitutam esse dicas. Vim vitalem inde quoque & egregie vocant, quos olim præceptores venerari mihi contigit, Viri Clarissimi ALBINVS & Cl. GAVBIUS.

Hæc iam vis omnibus partibus musculosis plus minus inest; inest quoque pro tempore partibus a corpore separatis, ita vt a leuissimo contactu corporis alicuius externi & citra animalis voluntatem ad agendum excitetur, respe-ctu huius phænomeni *irritabilem* dicimus fibram muscularem. Hancce itaque proprietatem, qua fibra muscularis quiescens accidente stimulo aliquo in contractionem raptur, vocabimus *irritabilitatem*. De hac vero potissimum mihi sermo erit in hisce pagellis, vbi de eius phænomenis, natura & caussis pro viribus meis disferere conabor.

Et maximi quidem momenti erat, maiori cum diligencia in hancce inquirere proprietatem, quæ in explicandis

&amp;

& physiologicis & pathologicis forte phænomenis tantam lucem adferret, falsas vero multas hypotheses penitus expungeret.

Non poterat non fieri, quin multi iam a longo tempore eam in corporibus animalibus obseruarent; a) eadem semper fuit naturæ lex, corpora animalia iam ante plura secula aperta fuere; lanionibus, item haruspicibus vltro oblata fuere hæc phænomena. Sed accidit hic, quod in multis physices partibus, vbi omnibus corporum proprietatibus quotidie se manifestantibus, leges tamen earum, natura, caussa sensim modo sensimque erutæ sunt. Præcipue autem quidquid hac in re prorsus enucleatum est, & perfectum, sagacissimo Ill. de HALLER debemus, qui ut est naturæ scrutator indefessus, obseruator acutissimus, ita hancce quoque doctrinam quam plurimis eisque elegantissimis experimentis illustravit, atque solidiori eam superstruxit fundamento. b)

Sed

a) Inde VIRGIL. Aen. L. I. v. 214. sqq.

Illi se prædæ accingunt, dapibusque futuris  
Tergora diripiunt costis, & viscera nudant;  
Pars in frusta secat, verubusque trementia figunt.  
Littore ahena locant alii, flamasque ministrant.  
Tum victu reuocant vires fusque per herbam.  
Implentur veteris Bacchi, pinguisque ferinæ.

SWAMMERDAM (Tract. d. Respir. 1667. c. 7.) HARVÆVS in Exercit. de Gener. animal. PEYERVVS (parerg. anat. medic.) BOHNIVS (circulus anat. physiol.) BELLINVVS de Stimulis. DE GORTER Compend. Medicin. GLISSON de ventriculo & intest. Amst. 1677. BAGLIV. de fibra motrice & morbosâ, Antwerp. 1715. WINTER Orat. de Certitud. in Medic. pract. Franeq. 1746. WHYTTS Essay on the vital and other involuntary motions, Edinb. 1751. Eiusd. Physiological Essays, Edinb. 1755.

b) Commentar. Göttingenses: Les deux memoires de la nature sensible & irritable par Mr. DE HALLER, traduit par Mr. TISSOT, D.M. Lausanne; dont la première a été lue A. 1752. l'autre A. 1755.

Sed iam videamus, quænam sit ratio irritabilitatis in variis animalibus, variis earum partibus; sunt enim in eodem corpore, quibus maxima, sunt, quibus minor, sunt, quibus nulla plane est irritabilitas.

In iunioribus quoque animalibus ceteris paribus maior obtinet irritabilitas, facilius earum fibræ irritantur, diutius permanet ista proprietas.

Variis porro animalibus varius irritabilitatis gradus inest. Ita videmus animalia vulgo imperfectora dicta, quibus sanguis frigidior per venas fluere videtur, & quibus respectu cerebri admodum magna est medulla spinalis, longe antecellere hac proprietate ceteris animalibus; homini, quadrupedibus quibuscumque.

Amphibia quam plurima, ranas, testudines, lacertas, dein serpentium genus omne, pisces, anguillas, quam maxime insecta exemplis primæ classis eminentioris irritabilitatis adnumeramus. In his enim toties obseruaui, & quiuis experiri potest, capite abscisso illa adhucdum per horas, immo per dies moueri, quiescentibus iam accidente stimulo motum reddi posse, diu irritabilitatem superesse. Hinc quoque & recte hæc animalia vitæ tenaciora dicuntur.

Ranæ, quibus exscissum fuit cor, ablatum caput, per plures horas adhucdum se contrahunt, &, ubi mortuas iam credideris, afflatu, vel alio quocunque stimulo irritatae in nouas conuulsiones rapiuntur. Vidi lacertarum caudas a truncu separatas per totum diem contremuisse. Anguillæ in frusta dissecta, ultra horæ spatium interdum mouentur. Cæciliam Linn. (*Blindschleich*) aliquoties obseruaui, cum in partes dissecta esset, per biduum contortam fuisse. Viperæ, quibus caput & cor ablata fuere, post trium dierum interuallum adhucdum irritari possunt.

sunt. c) Pulcherrimum est experimentum, quod instituit REDI in testudinibus, quæ cum capite eas truncasset, per duas septimanas, immo per 23 dies adhucdum se contrahebant, dum acu eas pungeret. d)

In polypis notabile est, ipsos in plures partes diuisos non irritabiles tantum esse, sed & vitam sibi propriam quamvis particulam acquirere, in brachia excrescere, tot rursus polypos constituere, in quo frusta dissectum erat animal, quod & TREMBLEYI, & aliorum repetitis experimentis abunde constitit. Idem obseruatur in vermis, in lumbrico, in quo idem, quod in polypo, accidere docuit Italus anonymous autor. e) Cor cochleæ exsectum a pulsu ad aliquot horas cessauit, cum tamen saliuamadefactum fuerit, iterum pulsabat, idque circiter 12 horas, eodem fere euentu iterauit LISTERVS. f). Ipse repetii aliud LISTERI experimentum, forfice dissecui limaces, vidi superficiem eorum inferiorem, qua ad progre-diendum vtuntur, & quam plantam pedis inde vocat LISTERVS, vidi, dico, illam contrahi, ubi iam quiescebat, cultro tetigi, denuo ille motus consecutus est vndulatorius.

Insecta quoque sibi præ ceteris vindicare hanc proprie-tatem, compertum est. Fibras illa habent æque muscu-lares, quamvis non carneas, vt in nobis, quibus motus suos peragunt. g) Nobis quidem, cum ossa data sint pro-fulci-

c) BOYLE de Utile Philos. Exper. Part. 2.

d) REDI obseru. circa animalia viuentia, pag. 212.

e) Lettere intorno alla recente scoperta degli Infetti, che si multipli-cano mediante le SEZIONI de loro Corpi, Venet. 1747.

f) LISTER. Exerc. anat. de Cochlea. Lond. 1694. pag. 38.

g) Varii quidem, qui anatomen insectorum sectati sunt, fibrarum ista-rum mentionem fecere, vti DE REVMVR, ROESEL, SWAM-MERDAM, &c. viri de historia naturali meritissimi, sed memini Dn.

fulcimento, exterius musculi circumpositi sunt; insectis vero pro fundamento inferuit pars exterior, crustacea, hinc per interiora proiectæ sunt in illis fibræ motrices, ex quo fit, ut non facile exterius irritari possint. Videmus tamen in multis, vbi discissa fuerint, longe irritabilitatem superesse, in erucis, scarabæis, papilionibus, eorumque chrysalidibus, in acaro longipede Linn. (*Habergeiß*) in cancris, muscis, apibus &c. Vespæ discisso corpore adhucdum pungunt. BOYLE dicit, se vidisse, postquam decollatæ fuerint, phalænas coitum celebrasse, oua posuisse. b)

In ipso quidem humano corpore circa hanc rem obseruationes perpaucæ hucusque extiterunt, neque mirum; periculosa etenim sunt experimenta, obseruationes vero ultro se exferentes occasione variorum vulnerum casu inflitorum rarissimæ.

Sunt tamen, quæ videre licet in iis, quibus caput modo ablatum fuit, contremiscit tunc saepè per notabile temporis spatium muscularum faciei compages, truncus, & quæ illi adhærent membra, & saepius visa sunt talia corpora post duo vel tria horæ minuta pedem retraxisse. Speciosum est, quod affert BACO DE VERVLAMIO <sup>i)</sup> de proditore, huius enim cor, cum euinceratus iam esset homo, excisum a carnifice, & in ignem proiectum exsiliit primo

LYONNET in primis meditari huius historiæ naturalis partis diligenter scrutinium; tabulas eius quoque aliquas Hagæ Com. iam vidi æri insculptas, nullo modo cedentes eis, quas addidit TREMBLEY Histor. polyporum, & multum sane inde sibi promittere possunt historiæ natur. amici a viro ingeniosissimo.

b) BOYLE de Utile. Philos. Exper. Sect. II.

i) BACO DE VERVL. Histor. Vit. & Mort. Sect. 2.

primo ad sesquipedem, dein gradatim ad minus, durante spatio 7 vel 8 minutorum.

Sed ex analogia humani corporis cum reliquis animalibus edoceri aliquid possumus, & licet exinde concludere, ubi eadem partium structura, eadem earum actio est, idem quoque finis, eademque relatio caussarum & effectuum inter se obtinet. Magna est homini cum quadrupedibus conuenientia, in primis quoad partes internas, viscera puto & musculos. Respiratio, circulatio sanguinis, cerebrum & neruorum distributio æque ipsis necessaria sunt ac nobis; eadem structura ipsis est in his partibus, quamuis diuersa sit conformatio externa. Ita organa motus eadem ipsis sunt, musculi ex fibra carnea compositi, ut in nobis. Et inde quoque non mirum, pari fere passu incedere hæc animalia cum hominibus ratione irritabilitatis corporeæ. Plurima experimenta instituta fuere in canibus, felibus, cuniculis &c. Alia sunt, quæ in animalibus imperfectioribus capta sunt, ranis, viperis, lacertis &c. ut vero argumentum ab analogia fabricæ ductum nihil ex his imperfectioribus perdat speciei, quæro: annon vis illa motrix in fibra musculari ranæ debet eadem esse, quæ in animalibus perfectioribus? eadem certe structura est, idem fit, dum fibræ contrahuntur, quæ nonnisi colore differunt, qui in amphibiorum genere pallidior fere semper est, quam in animalibus quadrupedibus, adeoque & ex hisce animalibus aliquid inferre licet, quod ad illustrandam hancce proprietatem aliquid faciat.

Enumerandæ itaque nunc nobis veniunt eæ corporis partes, quibus præcipue irritabilitatem aliquam tribuerre possimus. *Fibram vero muscularē solam* cum Illustri

DE HALLER k) *irritabilem esse* opinor, vt pote quæ sola tali organica gaudeat strūctura, vt determinatum quendam motum producere possit.

Ceteras quidem corporis partes ex fibris quoque compositas esse, nullus dubito; sed tam inordinate istæ dispossitæ sunt, tam variæ sibi intertextæ, vt nullus inde certus motus consequi posse videatur, id quod BAGLIVO iam occasionem dedit, vt in fibram carneam & membraneam distingueret. Neque confundenda est hic elasticitas, quam variæ corporis partes cum fibra musculari communem habent, est enim hæc vis, qua partes pressæ vel elongatæ se se in pristinum statum restituunt, hic enim eo maior erit motus, quo maiores fuerint vires applicatæ; cum e contrario muscularis fibra a leuissimo contactu corporis alicuius effectum longe maiorem prodat, solo halitu, leui punctione cor exscissum alicuius animalis validissime se contrahit ad repetitas sæpe vices.

Hinc quoque patet, nihil probare ista experimenta, vbi stimulo præparati chemici potentiore irritantur partes, vti oleo vitrioli, spiritu nitri, butyro antimonii, sunt enim nimis hæc valida, quæ corrodunt, earumque naturam destruunt; hæc quoque in corpore per longum tempus iam extincto eundem omnino effectum habere debent. Sic in corio accidit, quod constringitur ab oleo vitrioli; quamvis fatendum sit, in recenti corpore partes facilius constringi, vbi sequaciores multo sunt fibræ, pinguedine nondum inspissata, humoribus nondum consistentibus, qui scilicet irrigando adhucdum fibras eas flexiliores reddunt.

Mox

k) DE HALLER. I. Memoir. pag. 77. Item pag. 53.

Mox itaque ex irritabilium classe excludendæ mihi videtur eæ partes, quæ non constructæ sunt tali organica fabrica, qualem quidem de fibra carnea annotauimus supra. Cum vero dentur partes, in quibus ægrius saltim demonstrantur eiusmodi fibræ, vbi pallidiores, aut rariores illæ existunt, hinc de earum irritabilitate dubitatum subinde fuisse, non mirum est. Patet quoque ex præmissis, multas dari partes, quæ, quamvis intensa gaudeant sensibilitate, nullo modo tamen sunt irritabiles, sed de his speciatim videbimus. Quam proxime ad fibræ muscularis naturam accedit TENDO, continuatæ sunt muscularibus tendinum fibræ; suadent hoc maceratio, item transitus fibræ muscularis in tendineam, in iunioribus quippe tendines nondum tam frequenter existant. Exemplum est in Massetere, qui in adultioribus demum diuersis in locis tendineus euadit; in Obturatore interno, vbi supra os Ischium inflectitur, in infantibus carneus est adhucdum, progressu temporis ibidem tendineus futurus. Neque coctio aliquid contra probat, separatur quidem inde tendo a carne, sed hæc destruunt naturam, non explicant.

Fibris tendineis quoque eadem dispositio est fibrarum, iuxta se inuicem positæ sunt, sed tenaciores, strictiores, rariori cellulosa ætissime compactæ, ita, vt non aptæ videantur ad abbreviationem, siue, quod idem est, contractionem subeundam. In validissima contractione musculi elongari potius videtur tendo, mox sese restituturus, vbi cessat ab actione musculus; hoc videre est in animalibus viuis. In Massetere quiuis ipse experiri potest, vbi iam adducta est maxilla, vt vtrinque se tangant dentes, tunc fortius contrahere possumus illum musculum, qui durior semper fiet, tenso nimirum magis magisque suo tendine.

Hoc de elasticitate tendinis; sed videamus de eius irritabilitate.

Ex structura eius iam suspicati fuimus, illum ad contractionem minus aptum esse. Nulla est, vel cum ipse musculus contrahitur, tendini contractio, neque illa ab effectu stimuli produci potest. Toties vidi hoc in experimentis cum canibus institutis, & Illustris DE HALLER quoque experimenta hoc confirmant. <sup>1)</sup> Idem valet de *Aponeurosis*. Neque necesse videtur, contrahi tendines, quorum finis erat, ut muscularis robur adderent, vbi partes solidiores mouendae erant.

Cellulosam quoque omni irritabilitate destitutam esse dicimus induiti primo ratione pag. prior. deinde & experimentis; nunquam enim vlla contractio oritur, vbi irritamus illam, si a stimulis chemicis discesseris, quorum etiam longe post mortem effectus eosdem videmus. Sed de his iam admonuimus. Legas etiam les Mem. de Mr. DE HALLER pag. 53. *Ligamenta, periosteum, meninges, pericardium &* omnes, si non musculares *membranas* ex irritabilium classe proscribimus; in his enim partibus neque vlla certo fibra muscularis demonstrari potest, neque ex earum structura aliquid expectare possumus, maximam quippe partem e cellulosa constant, sed experientia quoque idem discimus, nullo modo enim haec partes irritatae se contrahunt. Vid. Mr. DE HALLER dans l'ouvr. pag. cit. Neque duram matrem irritabilem esse totidem constat experimentis, fibræ istæ splendentes, tendineæ, quæ hinc inde se interfescant, non videntur datæ esse, nisi ut maius duræ matri robur accederet. Hinc BAGLIVI, viri ceterum acutissimi ingenii,

<sup>1)</sup> Vid. le prem. Mem. cit. pag. 52. & le second pag. 116.

genii, corruit, quod considerat, systema de irritabilitate huius membranæ, quam originem præbere dixit omnibus ceteris humani corporis partibus. Idem sentiebat PACHIONVS, qui proinde fibras carneas duræ matri affingebat; Cel. WINTERVM, Lups in Diss. de Irritab. Leid. 1748. eidem sententiæ fauisse dicit. Sed his non inhæreo, cum Cl. ZIMMERMANN eam sententiam refutauerit. Vid. Diss. de Irrit. Gœtt. 1751. De motu vero, qui sæpius obseruatus est in cerebro & dura matre, infra paucis agemus. Hinc neque *pulmones*, <sup>m)</sup> neque *hepar*, neque *renes*, neque *lien* vlo modo irritabilia sunt ex eo, quod hæc viscera construeta sint ex cellulosa, cui nunquam irritabilitatem aliquam inesse statuimus. Neque *capsulæ GLISSONII* irritabilitatem tribui posse affirmo. Nullæ in his partibus fibræ musculares adsunt, id quod cuiuis, qui rem absque præiudicio intuetur, patebit; hinc etiam nunquam irritationem infœcta est harum partium contractio.

*Cerebrum, cerebellum, medulla oblongata & spinalis* ex pulposa constant substantia, nimis molli, quam vt contractionem aliquam ab iis exspectare possimus. Hinc quoque nullam sibi propriam vindicant irritabilitatem, de iis enim effectibus, quos producunt hæ partes, vbi turbatæ fuerint, mihi nunc non sermo est. De inuolucris antea dixi.

*Nerui, veræ encephali propagines, quorum tanta vis est in corpus, & quorum stupendi effectus facile adducant aliquem, vt nullam non proprietatem ipsis tribuat,*  
irri-

<sup>m)</sup> Mihi hic de bronchiis non sermo est, quibus manifestæ sunt fibræ musculares.

irritabilitate tamen æque ac totum *Encephalon* destituti sunt. Extus circumdati sunt dura matre, non omnes quidem, sed maxima pars; in fine quoque deponunt istud inuolucrum, intus constant filis albis, laxius colligatis, ut distingua videas, sed pulposa ceterum sunt substantia; hinc neque in his contractio aliqua conspici potest, neque tunc, vbi musculi sese contrahunt, motus aliquis eisdem imprimitur.

Accuratus vt obseruaret III. DE HALLER pag. 45. apposuit regulam neruo, irritauit tunc, sed nullum prorsus motum animaduertere potuit. Ex his quoque facile intelligere possumus, quid statuendum sit de hypothesi eorum, qui ex constructione neruorum vasa circumligantium explicare voluerunt, erectionem penis, pallorem & ruborem faciei in animi affectibus. VIEVSENS n) pallorem faciei ab animi affectibus s. pathematibus inde fieri autumat, quod carotides a neruis constrictæ sanguinem suum propellere amplius nequeant, ruborem vero faciei dicit oriri a neruis venas iugulares constringentibus. Ill. DE HALLER huic opinioni quoque fauisse videtur, dicit enim in physiologia, o) vbi de animi affectibus ipsi sermo est: *Nonne nerui sphincteres vasa gubernant, & modo subsultim adstringunt, sanguinemque incitant, modo laxant, tonumque frangunt;* deinde in Commentario ad BOERH. p) Ergo videntur nerui, qui instar laqueorum arterias circumplectuntur, in ira & gaudio alternis concussionibus incitare arteriosi sanguinis influxum; in timore & lenius in mæcro-

re,

n) VIEVSENS Neurogr. L. 3. C. 4.

o) Prim. Lin. Phys. § 552.

p) Vid. Comment. ad BOERH. Instit. Vol. 2. pag. 448.

re, perpetua strictura easdem arterias coercere, ne sanguis ad partes affluere possit. Hos laqueos inuenio in arteria carotide interna, temporali, meningea maiori, vertebrali, subclavia, radice subclaviae dextræ & carotidis, trunco Aortæ, arteriis brachialibus, arteria cœliaca, mesenterica, arteriis, quæ ex pelvi prodeunt, pares certe omnino adsignato effectui. Pudor, timoris lene genus, videtur stringere venam temporalem, vbi a nerui duri remis ambitur, & sanguinem retinere. Porro ad erectionem penis explicandam his verbis vtitur prim. lin. phys. §. 800, dicit nimirum: *id fieri a latente in infimis laqueorum neruorum multitudine, qui per vim voluptatis adstricti venas coercent, ut arctiores factæ minus sanguinis ad trunco reddant &c.* Huic vero sententiæ ut adscribam, a me quidem impetrare non possum, in nervis enim nullam fieri contractionem per experimenta certo constat, & a nervis in arterias efficacem profundi contractionem, vel ideo persuadere mihi non possum, cum omnis constrictio talis & mollium nervorum indoli oppido contraria sit, effectum postulatura sua maiorem cauſa, & semper statum, si non vere præternaturale, certe quam maxime violentum ex parte arteriarum, venarumque passurarum supponeret. Non nego quidem, nervorum aliquod imperium esse in arterias, sed alia ratione hoc fieri arbitror, verosimillimum enim est, nervulos dari, qui concomitantur arterias, atque finibus suis se inferunt in earum fibras musculares. Proinde ill. de HALLER quoque dicit l. c. §. 552: Neque a vero alienum est, a nervorum varia sensibilitate arterias aut magis aut minus irritabiles redi; atque adeo ab eadem sanguinis copia vehementius aut languidius contrahi, ita sanguinis motum aut incitari, aut elanguescere. Sed de his satis!

*De vasis lacteis & ductu thoracico*, illis quidem non facile negarim irritabilitatis proprietatem. Commodum sane erat progressum chyli in vasis suis explicare, vbi irritabilitas ipsis supposita erat, & hoc forte induxit plurimos, vt reuera ista vasa irritabilia pronunciarent.

Ill. de HALLER q) illa omnino irritabilia vult, duabus potissimum rationibus illud comprobans: Prima est, quod illa chylo quamuis repleta in articulo mortis, se euacuent tamen, atque ita se contrahant, vt nulla amplius in ipsis cauitas detegi possit. Sed mors, quæ omnibus partibus rigorem inducit, etiam hæc vasa constringere valet, annon idem potest frigus? annon idem accidit in venis minoribus, quæ liquidum suum ad ramos maiores propellunt? has tamen irritabiles esse, negat ipse vir celeberr. Deinde etiam vasa lactea in mortuo visa sunt, memini hoc videre, quum Lugduni demonstrationibus anatomicis interesssem. Neque certo fibræ in tenerrimis hisce pellucientibus vasis inuentæ sunt. Nouimus quidem in viuis cito euancere chylum; sed annon sufficiebat structura, quæ ibi constituta est, vt etiam partes adiacentes promouere possint liquidum, vt idem valuulis impeditum retrogredi non possit. Forte & ratio physica aliqua obtinet, qua liquidum e minori spatio in maius facilius effluit. Altera ratio, quam adducit Ill. de HALLER, est hæc, tetigit ille vasa lactea oleo vitrioli, constringebantur, atque se euacabant, sed quid valeat hoc argumentum, e prioribus elucescit, & ex ipsis verbis Ill. de HALLER p. 45. vbi dicit: Il faut bien prendre garde de ne pas confondre avec cette propriété une espèce de mouvement vermiculaire

q) Vid. Les Mem. p. 58. 293 - 98.

laire du à la corrosion, que l'huile de vitriol ou l'esprit de nitre communiquent aux nerfs, aux arteres &c. Itaque ex allatis argumentis non satis demonstrata esse horum vasorum irritabilitas mihi quidem videtur, quod vero pace tanti viri dixerim.

*Ductibus excretoriis*, vti sunt lacrymales, saliuares, pancreatis, choledochus, cysticus, ureteres &c. nullam dicimus inesse irritabilitatem; in his enim nulla saltim fibra muscularis demonstrari potest. Fatendum est, & hos canales constringi, sed non nisi tacti fuerint oleo vitrioli, aut spiritu nitri fumante; sed nouimus iam, quid de his stimulis statuendum sit. Sufficiebat, hos ductus elasticos satis esse, ne collaberentur, eorum enim officium est, humores preparatos colligere, deferre ad loca conuenientia. Sunt tamen multa, quæ adiuuant hanc functionem, in lacrymalibus enim ab eleuatione & detractione palpebrarum, in parotide a motu maxillæ & muscularum, in submaxillaribus & sublingualibus ab agitatione maxillæ & linguæ, in pancreate a peristaltico motu intestinorum, ab intumescencia ventriculi, a respiratione, in ureteribus liquoris progressum quam maxime adiuuat eorum declivitas.

*Vesicula bilis* fibras aliquas intertextas habet, splendentes, satis conspicuas, sed tendineas magis, quam musculares, neque a contactu stimuli facile in contractionem abundantes. Hinc Ill. de HALLER illi perparuam tantum irritabilitatem tribuit.

De irritabilitate *glandularum* admodum dubitari posset. Earum substantia potius ex cellulosa constare videtur, quam ex fibris muscularibus. Neque his valde indiguisse videntur, cum ex partibus vicinis, muscularis in primis, emulgeri videantur; vid. priora. Ill. de HALLER p. 59. quidem

quidem irritabiles eas pronunciat, neque tamen experientia ideo se cepisse fatetur. Allegat vero, lacrymas, ab irritante acri aliquo productas, omnino de glandularum irritabilitate testari. Dicam, quid sentiam, & quid videbam. Nuperrime admodum puellus mihi exhibitus est, 5. circiter annorum, cui iam ante annum vtraque parotis suppurraverat, postea vero superinducta cute sponte rursus sanata fuerat. Ante aliquot vero menses denuo ipsi intumuit tota facies, intumuere in primis glandulae submaxillares, mox eandem scenam ludebant, quam antea parotides, in suppurationem quoque abidere, ita ut omni inde cute & cellulosa destrueta tota ista glandula oculis conspici posset. Nolui datam occasionem praetermittere, ut de irritabilitate glandulae forte aliquid cognoscerem, mox itaque digitis, dein specillo irritaui, sed nulla infecuta contractione, neque copiosius in os effluente saliuia; parum quoque puer id curabat, neque multum conquerebatur. Tertio die, cum rursus ad me allatus esset, repetitum experimentum, totam primo glandulam eluendam curaui, tunc plumula, dein & specillo, & fortius quam antea irritaui, sed nullo plane effectu in villa glandulae parte.

Forte non sufficit unicum experimentum pro vniuersali rei veritate stabilienda, forte in sano aliter ac in morbo, forsitan aliter in alia glandula accidit?

Certe glandula lacrymalis, ubi acre aliquid oculum tetigerit, copiosiorem plorat liquorem, sed fieri hoc potest ab agitatione palpebrarum, quibus mox auertere conamur, si quid forte heterogenei in oculum illapsum sit.

Est & altera ratio in glandulis, quae in plurimis corporis partibus obtinet, videmus enim, ubi pars aliqua vehementius irritatur, maiorem ad eam fieri affluxum humorum,

morum, in primis vbi illæ eminentiori gaudent sensibilitate. In inflammatione hoc experimur, hæc enim partes tensas magis sensibilioresque reddit, vt facilius irritari possint. Urethra quoque, vbi acri aliquo tacta fuerit, mucum fundit copiosiorem. De his vero plura dicemus, vbi de irritabilitate arteriarum nobis sermo erit.

Circa arteriarum irritabilitatem varia instituta fuere experimenta, sed nunquam visæ sunt se contraxisse, nisi vbi stimulus chemicus adhibitus fuerit. Eas tamen irritabiles esse, plurima sunt, quæ suadent. Notissima est earum fabrica, fibris instruetæ sunt circularibus, muscularibus, quæ vero densissimæ intertextæ sunt cellulosæ, ita vt magnam cordis vim facilius sustinere possent, alias enim in immensum dilatarentur. Sic præsertim se habent maiores trunci arteriarum, in his enim fibræ musculares a cellulosa ita circumvolutæ sunt, vt difficilium saltim a stimulo aliquo affici possint. Ita Ill. de HALLER quoque sentit. Vid. Mem. sur l' Irrit. p. 274: Il faut attribuer apparemment cette exception à l'épaisseur de la cellulosité, qui compose le gros de la substance des artères, & qui couvre les fibres musculaires.

In minoribus, in minimis cerebri arteriis fibræ conspicuæ sunt subrubellæ, neque tam stricta cellulosa cinctæ vt in maioribus, minus firmæ sunt, adeoque harum tunicae, minus elasticæ, & videtur hoc factum esse, vt ipsæ sanguinem promouere possent, vbi vis cordis non amplius sufficeret. Nil vero probant experimenta in ranis capta, in his enim animalculis nulla est arteriarum irritabilitas, sed nullæ quoque fibræ musculares ibi inueniuntur, ex sola constant cellulosa. Porro, quando acre ali quod cuti applicatur, vti vesicatorium, mox inflammatio

oritur, hoc cito quoque, sed citius euenit adhucdum in oculo. Evidem non video, hanc inflammationem oriri posse ab aucta vi cordis, aut maiorum arteriarum, sed ab ipsis vasculis irritatis, quae in motum talem oscillatorium excitata rubrum sanguinem pellunt in vasa, in quibus anteā non nisi pellucidus vehebatur liquor. De nervis dictum est, vbi de eorum irritabilitate diximus. Deinde est & aliud argumentum. Aorta a morte sanguinem in venas expellit, ita ut saepe tota euacuata inuenta fuerit. Vbi ligatur arteria, videmus, quamuis cor amplius vrgere non possit, sanguinem tamen per arterias continuo propelli, donec in venas se exonerauerint. Ego quidem hisce rationibus adductus non possum non irritabilitatem concedere arteriis, minores vero arterias maiorem ad stimulum impatientiam exferere, ex præmissis satis superque patet. Hinc quoque Illustris de HALLER Sect. XI. Ces animaux (loquitur de animalibus perfectioribus) ont d'ailleurs des fibres musculaires, dans leurs arteres. J'y reconnois par consequent de l'irritabilité. Mais je ne tire pas ma conviction des experiences, dans lequelles les acides chymiques les plus puissants ont produit quelque contraction dans les arteres.

*Venarum* tunicæ non æque densæ ac compactæ comprehenduntur, quam illæ arteriarum, hinc facilius in contractionem abeunt a stímulo chemico tactæ, vti Spiritu Nitri, Oleo Vitrioli &c. sed ab his non rite inferri, iam annotauimus, hæc enim longe post mortem eodem modo accidunt. Rariores sunt fibræ carneæ in venis, nec nisi duobus in ramis venæ cauæ proxime ad cor accendentibus inueniuntur. Ibi mediæ inter tunicas venosas decurrunt, rubræ, musculares, porrectæ ex ipsa auricula, dein & aliæ sunt

sunt circulares circa ostia venæ cauæ circumiectæ, quæ sensim progrediendo imminuantur, ita ut in subclaviis tantum non deletas inuenias. Ex hac fibrarum muscularium præsentia iam ad venæ irritabilitatem concludere possemus, sed obseruatum est sæpius in animalibus moribundis, venam cauam se contraxisse, immo Ill. DE HALLER eum motum per quinque horas continuatum se vidisse dicit r), Steno quoque hanc venæ cauæ contractionem in cuniculo obseruauit s), & quidem tunc, vbi iam cessauerat cor ab omni contractione. Nam aliud interdum motum accipiunt venæ cauæ in articulo mortis, vbi dexter ventriculus sanguinem non amplius in arteriam pulmonalem propellere potest, tunc enim auricula se contrahit semper, sed sanguinem in utramque cauam repellit, ita ut verum pulsus mentiatur iste motus. Hæc ex observationibus, & in animalibus viuis scalpello subiectis, vbi hoc clare conspicitur.

Singularem quoque motum patiuntur venæ, cuius causa certe non a contractione earum petenda est. Ill. de HALLER primus hunc detexit, inque caussam eius inquisuit. Vedit ille, in inspiratione euacuari venas; in exspiratione vero illas rursus adimpleri. Obseruatus fuerat ante motus aliquis in cerebro, quem alii duræ matri tribuebant, inuenit vero vir celeberr. illum motum eodem modo se habere ac in venis, inflari cerebrum tempore exspirationis, in inspiratione vero subsidere. Obseruauit dein magna cum diligentia venas cauas, brachiales, iliacas, &

r) Vid. les deux Memoir. sur le mouv. du sang. & les effets de la saignée pag. 122.

s) Vid. BARTHOLIN. Ep. Med. Cent. IV. pag. 111.

& in omnibus idem deprehendit. Hinc forte pulsus venarum, qui interdum obseruatur, est *t*). Ita vero explicat hoc phænomenon vir celeberrimus, dicit nimirum, inspirationis tempore maiorem facilitatem acquirere sanguinem, ut pulmones penetrare possit, hinc eodem tempore euacuari venas, tempore exspirationis vero impediri sanguinem, quo minus libere in pulmones transire possit, hinc accumulari sanguinem in venis, impleri. Probat hoc variis, eisque solidissimis argumentis, quæ rem extra omnem dubii aleam ponunt. Cum vero tanti momenti sit in circulatione sanguinis hoc phænomenon, operæ pretium erit, ipsum adire celeberrimi Autoris librum *u*). Item Diss. Vir. Doctiss. D.N. WALSTORFF, in quo quam plurima recensentur experimenta, quæ cum Ill. de HALLER instituit *v*).

*Vesicam urinariam* irritabilem esse, suadent eius fibræ, demonstrant experimenta, irritata quippe scalpello, aut quoquis alio instrumento, sese contrahit, atque tota euacuatur. Eadem est ratio in animalibus viuis; in homine, vbi repleta est vesica, tenduntur eius fibræ, atque ita ad contractionem excitantur; deinde, vbi nimis acris est vrina, aut vbi membrana intima erosa est *w*), continua adest irritatio, atque adeo contractio, hinc pessimæ dysuriæ,

fæ-

*t*) Vid. VAN SWIETEN Comment. T. II. pag. 27, 56. 60.

*u*) DE HALLER deux Mem. sur le mouv. du sang, & les effets de la saignée pag. 122. Chap. IV.

*v*) WALSTORFF Diss. qua experimenta circa motum cerebri, cerebelli, duræ matris, & venarum in viuis animalibus instituta proposuit. Gœtt. 1753.

*w*) Talem casum recenset KOCH de femina, cui tota exiit intimæ vesicæ pellicula. Vid. Descriptio affeſtus in libris & Praxi rarissime occur. a BOERHAAV. sanat. Lugd. Bat. anno 1738.

sæpiissime enim vrethræ membrana quoque in consensu vocatur.

*Oesophagus* maximam partem constat ex fibris carneis muscularibus, hinc non mirum est, irritabilem eum valde esse; immo Ill. DE HALLER obseruauit, illum in motum vere peristalticum aliquando deduci, vbi supra diaphragma irritatur. Hinc, vbi per pharyngem assumtum fuerit alimentum, promouebitur ad stomachum usque, vrgentibus semper fibris muscularibus successiue ab una regione œsophagi, ad alteram proximam; sed eadem ratione, vbi per stomachum aliquid retrogressum fuerit, vrgebitur usque ad fauces, id quod in vomitu contingit. Alia est obseruatio Viri celeberrimi. Vedit enim in experimentis suis quæ instituit, frequentissimis, œsophagum a diaphragmate constringi tempore inspirationis, atque hinc concludit, vomitum non fieri posse nisi tempore exspirationis. x)

*Ventriculus* vtique irritabilis est, manifestissimæ sunt eius fibræ. Multæ hac de re existant obseruationes, quas recensere inutile foret. Fuerunt autem, qui obiecere, eius contractionem non talem esse in corpore sano & integro, qualem videmus in dissectis animalibus viuis, vbi aër externus iam accesserit. Ill. DE HALLER vero vidit eundem motum a parte diaphragmatis, dein etiam abstulit integumenta, vt non nisi peritonæum superesset; distinete tunc quoque conspicere potuit motum ventriculi & intestinorum peristalticum. y)

*Intestina* eminentiori adhucdum pollere irritabilitate quam ventriculum, compertum est, eo, quod diutius contrahi

x) Vid. eius Memoires p. 312.

y) Vid. loc. cit. p. 303, 304. item pag. 338.

trahi videantur, vbi vna cum ventriculo ex corpore euulsa fuerint. Hoc obseruari potest in cuniculis, canibus, felibus, leporibus &c. pulcherrimo sane spectaculo. Motum vndulatorium refert hæc contractio nunc a superiori parte, ad inferiorem, nunc ab inferiori ad superiorem partem proficiscens, nouis semper vndulationibus in sequentibus; quiescentia iam intestina irritata in nouas contractiones excitantur, donec plane cesset motus. Hunc motum in homine quoque videre aliquando mihi contigit, quum Parisiis degerem. Referam tristissimum casum: Erat seruus fabri ferrarii, huic, cum ad angulum quendam plateæ staret, forte non cauenti, ab axe plaustris transeuntis, abdomen ad duarum circiter manuum latitudinem disrupitum fuit, ita ut mox erumperent intestina, cum quibus postea manu ea sustinens aufugit. Cum proxime adessem, accessi quoque, & distinete conspici poterat motus intestinalium peristalticus, teterrimo ceterum aspectu.

Singularem producunt effectum in ventriculo & intestinis venena, & cuiuscunque generis caustica. Nimirum in ea parte, cui applicatur talis stimulus, vehemens suboritur constrictio; & in intestinis quidem cum aliqua differentia, nam in illis portio irritata sese ita contrahit, ut mox in proximam partem intro suscipiat. Nullum dubium est, purgantia stimulo suo afficere intestina, quæ contractione sua copiosorem mucum fæces diluentem exprimant, & augendo motum peristalticum excrementa citius expellant, quam in statu corporis fano. Cel. LE CAT in femina talia experimenta instituit cum purgantibus, quæ vidit eo maiorem contractionem efficere, quo validiora erant purgantia, quibus stimulauit intestinum. Et ex his quoque patet bilis actio in intestina, quæ irritando canalem in-

testi-

testinorum adiuuat chymi expressionem, propulsionem fœcum remanentium.

In ipsis etiam crassis intestinis obseruatur motus peristalticus; & perinde necessarium erat, illa ad stimulum sensibilia esse. Quid enim contingeret, vbi hoc non obtineret? Fœces certe remanerent, indurarentur, accumularentur cum manifesto vitæ periculo. Concedo vtique, diaphragma & musculos abdominales multum posse ad expulsionem excrementorum; sed vbi bene attendimus, videmus, hæc non sufficere, nam si nulla esset intestinis propria contrac̄tio, fœces in intestino contentæ a musculis istis comprimerentur quidem, sed æque sursum ac deorsum propellerentur, neque vñquam viam legerent naturalem. Cor cauus quidem, sed verus musculus, ceteris corporis partibus irritabilitate sua facile palmam præripit. Motus intestinalis peristalticus quidem cordi quandoquidem superstes visus fuit, sed potiores tamen obseruationes pro corde militant. E corpore euulsum diu pulsat, & diutius quidem in animalibus, quibus frigidior sanguis per venas fluit, vti ranis, e.gr. quiescens irritatur ab aëre, halitu, sanguine &c. stimulo mechanico quoconque. Chemicus stimulus vbi accedit, oritur constrictio vehemens in portione irritata, localis; qualem videmus in ventriculo aut intestinis. vid. præced.

Diu mirabilis cordis mechanismus exercuerat physiologorum ingenia, vt varias ad motum eius explicandum effinxerint hypotheses, quas vero hic proferre superuacaneum foret. HARVÆVS iam suo tempore simpliciorem cognouit caussam: sanguinem, cor ad contractionem perpetuo stimulo incitantem; hinc ita scribit in Exercitat. suis.

suis. z) Certumque est, vesiculam diEtam, vt & cordis auriculam postea, (vnde pulsatio primum incipit,) a distendente sanguine, ad constrictio[n]is motum irritari. GLISSONIUS quoque a) idem cognouisse videtur, vbi ait: Fibræ cordis, virtute mictionis vitalis sanguinis in eius ventriculis contenti, per vices irritatæ, excitantur ad se contrahendas & pulsationem faciunt: mox irritatione remissa relaxantur, & naturalem partium positionem repetunt.

Dum contrahitur cor, manifeste apparet, eius basin & apicem ad se inuicem accedere. Accedente nouo sanguine cor iam quiescens denuo mouetur. Eadem ratio est in vtroque ventriculo. Hinc in animali tantum non extincto dextrum cor adhuc contrahi videmus, vbi sinistrum a motu suo iam cessauit, nimirum dextro ventriculo sanguis adhucdum suppeditatur a venis cauis, cum e contrario sanguis per pulmones in sinistrum ventriculum transire amplius non possit. Contrahitur tamen sinister quoque ventriculus, quando iam cessauit a motu suo, dummodo nouum sanguinem in eum compellamus.

Synchronous est motus vtriusque auriculæ, synchronous quoque vtriusque ventriculi, scilicet eo tempore, vbi satis vegeta adhucdum circulatione in vtrumque ventriculum sanguis irruere possit. Notari meretur pulcra Ill. DE HALLE R obseruatio, quando omnem euacuabat sanguinem e dextro ventriculo, tunc, ligata primum aorta, sanguinem adegit in sinistrum ventriculum; vdit hunc contrahi solum, dextrum ventriculum in quibusdam plane non moueri; in aliis vero paruum tantummodo motum fieri

z) Exerc. 51. de generat. Animalium.

a) GLISSON. de Ventric. & Intest. Cap. 7. pag. 170.

fieri in ea ventriculi portione, quæ emergenti aortæ proxima est. Hinc non immerito a quibusdam cordis machina considerata fuit, vti duo corda sibi valde connexa. Constat vero ex omnibus his obseruationibus, cor a continuo sanguinis affluxu stimulari, contrahi, sanguinem suum expellere; relaxatum denuo sanguinem recipere, denuo expellere, atque vi fabricæ suæ in arterias determinare.

*Musculi* euidentissima gaudent irritabilitate. Pulcra sunt, quæ in eis spectantur phænomena, in canibus, felibus, cuniculis &c. in animalibus etiam imperfectioribus. Memini hoc vidisse in cane, quem occideram, cranium ipsi effringendo, vt fere mortuus per horam iaceret, dum aperui, vidi panniculum carnosum agitari alternis contractionibus, corde non amplius se mouente, nisi postea, vbi sanguinem in id impellebam. Sed hoc euenit etiam in ceteris musculis; in diaphragmate in primis, cui præ ceteris irritabilitatem tribuendam esse videmus, cum diutius hanc in se proprietatem manifestet, quam quidem reliqui musculi, si cor & intestina exceperis. In animalibus fere mortuis leui stimulo mechanico, scalpello, specillo facilime irritantur. Contrahuntur etiam a stimulo chemico, proinde miror Ill. DE HALLER ita pronunciare: J'ai aussi rémarqué constamment, que la convulsion du muscle avoit lieu, quand on en irritoit le muscle avec un scalpel, & qu'elle ne se fait point, quand on y emploie le corrosifs.

Separati a corpore suo sponte interdum palpitant quiescentes iam, vbi tetigeris, in nouas excitantur contractiones, quæ vero sensim decrescunt vehementia sua, vt tandem nonnisi motum aliquem oscillatorium in eis conspicere possis.

possit. Neque mirum est, penitus tandem cessare motum vel ob hanc solam rationem, quod fibræ aëri expositæ, consistente pinguedine sicciores, rigidiores, atque adeo ad contractionem ineptæ euadant, quamvis sine dubio & alias quoque rationes subesse suspicandum sit.

Recensenda quoque hic veniunt phænomena, quæ ratione neruorum in musculis contingunt; mira illa sunt, & quæ multum forte facient ad illustrandas fin minus caussas, at certe leges motuum istorum; his enim cognitis ad veritatem proprius accedimus.

Contrahitur musculus, vbi neruus, quem accipit, irritatur. Vbi comprimitur neruus, aut discinditur, musculus fit paralyticus, nimirum ratione voluntatis; quicquid enim conetur animal, motum exferere amplius non potest; hinc deducimus: integratatem neruorum, eorumque continuitatem cum cerebro necessario requiri ad motus muscularum voluntarios peragendos. Tollitur itaque motus voluntarius neruo discesso, sed non omnis tamen motus perit, nam idem neruus a cerebro sectione disiunctus, vbi irritatur, musculum, quem adit, contrahere facit, hoc ex experimentis nouimus. b) Confirmatur quoque in paralyticis, quorum musculi, in quos voluntatis nullum amplius est imperium, contrahuntur interdum, quando stimulo electrico excitantur. Talem casum recenset Cl. WHYTT: c) homo 25 annorum, qui ex paralysi, iam per 12 annos durante, omnem motus facultatem perdiderat

b) Vid. Cl. VAN BRVNN Diss. Experim. circa ligaturam neruorum in animalibus instituta, Gœtt. 1753. Exp. 3. & 4.

c) In Essay on the vital and other involuntary motions pag. 73.

diderat in sinistro brachio, aliis remediis frustra semper adhibitis, tandem confugit ad electrisationem; quouis concussu musculi huius brachii conuellebantur, ipsum vero, postquam per 3 septimanas tali modo continuatum fuisset, manifeste inertius redditum est.

Neque dubitari potest, hoc in casu obstruktionem aliquam in neruis adfuisse, quæ voluntati quasi viam intercipere ad musculum; neruo interim infra obstruktionem rite constituto. Stimulus electricus validissimus omnium videtur: pessime neruos turbando non solum vehementer irritat musculos, ad quos nerui isti accedunt, sed interdum plane destruit irritabilitatem, ut veram inducat mortem, nullis fere signis apparentibus, nisi maculis paruis rubris; ita perire videmus a concussu electrico aues, insecta, maiora etiam animalia, canes, cuniculos, feles &c.

Ad *Genitalia* peruenio. De sensibilitate eorundem mihi hic sermo non est; equidem acutissimo sensu illa praedita sunt. An vero sunt irritabilia? Motum certe aliquem illis inesse videmus, sed qui differt plane a motu musculari. Quid enim fit in erekctione penis, clitoridis, plexus retiformis? d) Nullæ adsunt fibræ musculares. De erektoribus enim explosa est sententia, constat & illos, & acceleratores adiuuare quidem posse, sed nullo modo erekctionem producere. Erectionem adesse nouimus, vbi a maioris sanguinis affluxu distenditur pars erigenda. Cl. WHYTT, e) qui summam paruis arteriolis irritabilitatem tribuit, ita explicat; esse motum oscillatorium in arteriolis, qui a quaque irritatione facile adaugeri possit, ut non mirum sit, maiorem

d) WINSLOW Expos. anat. Tom. IV. Traité du basventre §. 655.  
e) Essay on vital and inv. Mot. pag. 96.

maiores sanguinis copiam in ेreेtione adferri per istas arterias, quam per venas reduci possit; f) & hinc partes genitales inter irritabiles quoque referri possent. Speciosa est sententia Cl. WHYTT, sed remanet tamen semper aliqua difficultas in explicatione tam mirabilis phænomeni. Quid enim indicant homines, qui in strage magnam hæmorrhagiam passi, mortui inueniuntur ेreëtis penibus? Relatum mihi fuit a viro quodam candido, cum in priori bello ad Reginæ exercitum Chirurgi officium sustineret, se vidisse aliquoties in hominibus, quibus multum sanguinis ex vulnere perditum erat, pessimos ortos fuisse priapismos, atque miseris istos horrendo adstantium spectaculo validissimas perpeñlos esse feminis eiaculationes. In his tamen magna adeſt sanguinis penuria; ligatus etiam penis erigitur; tumet glans in paraphimosis. An ideo negandum, sanguinem per arterias allatum distendere penem, erigere? Difficilia hæc sunt, & quibus explicandis me quidem imparem profiteri, non hæſito.

De *Vtero* experimenta capta sunt in viuis animalibus. Ipſe expertus sum in cane grauida, in fele. Agitantur eius cornua pulcerrimo motu vndulatorio, peristaltico intestinorum haud dissimili. Fit hoc sponte, sed fortius, vbi irritaueris. Tubæ etiam fallopianæ eodem modo contrahuntur. Vero simillimum inde videtur, coitus tempore, vbi feruet totum generationis systema, sanguine maiori copia eo ruente, tubas fallopianas erigi, ad ouarium infleti,

f) WHYTT I. c. pag. 99. why may not the stimulus of the seed in the vesiculae seminales or the sight, nay even the recalled Idea of lascivious objects cause a more than ordinary flow of blood through the small arteries of the penis by greatly increasing their vibrating contractions.

Eti, vt ouulum recipient, atque motu illo vermiculari ad vterum illud deferant. Quanta vi contractionis polleat vterus, in parentibus experimur, vbi tam fortiter saepe contrahitur, vt exspectanda sit eius relaxatio, donec manum retrahere possimus. De *vagina vteri* constat quoque, illum motu aliquo peristaltico moueri, id quod necessarium forte erat, vt ad quam destinata erat, functione rite perfungeretur.

*Iridi* aliquam irritabilitatem tribuendam esse, facile nobis persuadebimus, vbi ad motum eius luci semper proportionatum attendimus. Pupilla nil aliud est, quam spatium illud fere circulare, quod ab annulo illo membranaceo, iride, liberum relinquitur. Itaque necesse est, vt maius fiat illud spatum, quando iris elongatur; id quod contingit, quando e loco obscuriori transimus in clariorem; e contra idem spatum ampliabitur, vbi iris abbreviatur, atque hoc tum fieri videmus, vbi e loco clariori in obscuriore deferimur.

De fibris annuli istius multum disputatum fuit. Sunt, qui plane illas negant, vti Ill. DE HALLER g) Alii duas earum series statuunt, vt Cl. WINSLOW b) & Cel. WHYTT. Dicunt nimirum, esse unum stratum fibrarum longitudinalium, quae ab orbiculo ciliari proficiscuntur ad marginem vsque iridis, alterum volunt esse ex circularibus in ipso illo margine circumpositis. De circularibus ne suspicio quidem oriri potest, vbi rem sine præiudicio aggressi intuemur. Certissimum vero est, orbiculum ciliarem inter & marginem iridis decurrere aliqua filamenta, fibris

g) Prim. lin. phys. §. 506. Mem. Seet. X.  
b) Expos. anat. Traité de la tête §. 220.

fibris istis longitudinalibus simillima. Ratio quoque suadet, tales adesse, quæ contractionem iridis efficiant. i) Ill. DE HALLER k) experimenta nos docent, iridem a nullis irritari posse stimuli mechanicis. Tentaui ego aliquoties, sed nunquam ita successit, vt bene obseruare potuerim. Lubentissimus quidem assentior Ill. DE HALLER, cuius tanta est in hisce rebus auctoritas, & cuius, quam diuturno vsu sibi acquisiuit, dexteritas longe meam superare debet.

Ex his vero experimentis deducit vir Illustris, nullas in iride dari fibras, quippe quæ alias contraherentur a stimulo validiori multo, quam sunt radii lucis; speciosum omnino argumentum; vt parum abfuerit, quin in eius transirem sententiam; sunt tamen, quæ obstant. Nam ex eodem argumento concludere possim, fibras adesse ideo, quod certe constat, iridem aliqua vi contractionis præditam esse, siue hoc fiat a luce, vti reuera fit, siue ab alia caussa. Deinde quoque non mirabimur fibras istas a stimulo mechanico non contrahi; si Celeberrimi WHYTT l) sententiæ adscribimus, qui quidem asserit, iridem a luce non immediate affici, sed hunc demum motum ipsi imprimi, quando retina a radiis lucis molesta affiliatur sensatione. Immobilis enim tunc animaduertitur, vbi vitio aliquo laborat neruus opticus, vt ipse Ill. DE HALLER affirmat, & Cel. WHYTT in multis obseruauit. Neque credibile est,

i) Cl. ZINN pag. 91. §. 3. negat quidem autopsia confirmatas fibras musculares has, sed argumento ab analogia structuræ iridis dueto fibras tales anteriori faciei iridis intermistas esse sibi persuadet. Vid. Diss. anat. Gœtt. 1755.

k) Mem. II. Sect. X.

l) WHYTT Essay on vital and oth. invol. Mot. pag. 112.

est, vbi bene rem perpendimus, aliud quid affici posse a luce, fluido subtilissimo, nisi ipsum neruum, qui solus in nostro corpore sensationis organum constituit, & qui sensilior semper est, quo magis inuolucris suis orbatus est, vti in retina.

Aliud est argumentum Ill. DE HALLER<sup>m</sup>), quo fibram in iride propugnat præsentiam, dicit nimirum, si adessent tales, illas a morte elongari, adeoque minorem fieri debere pupillam; addit vero, se contrarium semper animaduertisse in mortuis animalibus, dilatatam semper inuenisse pupillam; idque contra Cel. W H Y T T I I profert sententiam.

Cel. WINSLOW<sup>n</sup>) iam annotauerat, in cadaueribus pupillam imminui. Studiose ego obseruaui in duobus hominibus moribundis, vidi in ipso mortis articulo laxari iridem, minorem fieri pupillam; aliquot horas post mortem cum rursus accederem, rigescente iam corpore contrahi iridem, ampliori facta pupilla, tertio demum die flaccescente tunc tempore elongari rursus iridem, immunita valde pupilla. Inspexi quoque cadauera, atque ideo plus quam viginti eorum lustravi, inueni semper elongatam iridem, imminutam pupillam; quamuis fatear, in aliis plus, in aliis minus hoc obtinuisse.

Neque dubium est, a morte statim, vbi omnia rigescunt in corpore, idem quoque accidere iridi, fibras illius contrahi, atque dilatatam tunc inueniri pupillam, quæ vero, vbi rursus flaccescere incipit corpus, mox immunitur, elongatis iridis fibris.

An

<sup>m</sup>) Mem. I. pag. 65. & Mem. II. Sect. X.

<sup>n</sup>) WINSL. Mem. de l'Acad. des sciences 1721. ed. in 8. pag. 416.

An vero opus erat fibris circularibus, quarum ne vestigium quidem in iride deprehenditur? Multi fuere viri doctissimi, qui ita arbitrati sunt, inter quos Cl. W H Y T T, aliquique plures. Scilicet fibras istas circulares fingeant, ut sphincteris ad instar contraherent iridis marginem, vbi ad lucem temperandam imminuenda erat pupilla. Sed an id, quod contractionem alias vocant, iridis reuera est contractio? annon potius relaxationem eius vocare possumus? nam si bene attendimus, elongantur tunc illæ fibræ, ut minor inde reddatur pupillæ discus. Certum vero est, fibras illas tunc contrahi, vbi amplior fit pupilla: Neque video, quid repugnet huic sententiæ? o). Magis saltim consentanea videtur ipsi naturæ, quæ simplicitate sua fere semper eludere solet fertilissima philosophorum ingenia.

Superest, vt aliquid dicam de *membrana Dartos*, itemque de *ipsa cute*. In vtraqve obseruatur aliqua contractio-nis species, in primis, vbi a frigore subitaneo afficiuntur. Et in cute quidem est, quod vocant: cutem anserinam. Dartos veram mentitur membranam muscularem, sed nonnisi cellulosam esse nouimus, vasculosam compaetio-rem. Neque cutis vllas habet fibras musculares; ipse pan-niculus carnosus in animalibus facile ab ea cultello separari potest, æque ac platysma myoides in homine. Multum sâne differt contractio in his partibus ab irritabilitate fibræ muscularis. A solo frigore hic producitur, quod in mu-sculis partibus quoquis stimulo efficere possumus. In corpore viuo omnes partes flexiles magis sunt & sequa-ciores, hinc ab accidente frigore facilius afficiuntur, con-stringuntur. Frigus enim solida arctat, eorundem con-tactum

o) Idem suspicatur, & tantum non consentit Vir Cel. ZINN, l.c.p. 102.

taetum auget, atque fluida in vasculis repellit. Itaque patet, has partes non esse ex irritabilium classe, cum non nisi a frigore constringantur, & patientur potius, quam ut ipsae agant.

Expositis itaque præcipuis, quæ ad irritabilitatem partium spectant phænomenis, eo facilius nunc inquirere poterimus, quid de eius natura, aut caussis forte sentiendum sit? Dolendum vero est, vti humani ingenii vires angustis valde limitibus circumscriptæ sunt, ita & hic difficultates occurrere, vix vnquam a nobis superandas. Sat multum vero præstissemus, qui ita rerum naturam enucleauerit, vt certæ earundem leges stabiliri exinde possint. Semper enim acquiescendum est in ultimo aliquo. Ulteriorius progreedi velle vanus esset, & frustraneus labor. Quid enim, quæso, circa grauitatis, attractionis, electricitatis proprietates nobis innotescit, præter leges earundem? arduum ceterum negotium, vbi hasce bene eruerimus! Interim experientia suppeditat phænomena, quæ comparat ingenium. Non fingendum vero, aut excogitandum, sed inueniendum est, quid natura faciat, aut ferat? Hac via, si quæ datur, incedentes non possumus non duci ad ipsam veritatem.

Eo fere redire videtur multitudo phænomenorum, quod fibra muscularis contrahatur, vbi stimulo aliquo afficitur. Vidimus autem speciatim, hoc fieri in integro corpore, fieri etiam in partibus a corpore separatis, fieri, vbi non ipse musculus, sed tantummodo eius nerui irritantur, fieri maiori cum constanza in quibusdam partibus, vti in corde, in intestinis, in diaphragmate. Singularia hæc phænomena postea indagabimus; nunc vero præcipue nobis videndum erit, quid

constituat in genere irritabilitatem? vbi resideat? an corporis magis sit proprietas, quam animæ?

Supra iam admonui, & repetendum hic venit, ita constructam esse fibram muscularum, ut ad contractionem aptissima sit. Utique talis requirebatur mechanica strutura: sed hæc non absoluī totum contractionis negotium in musculo, indicat tantummodo, illum esse instrumentum ad varios motus ineundos accommodatissimum, præterea nihil. Iacet enim in mortuo musculus hesterna rosa languidior, neque amplius ullum motum producere valet. Crassius est exemplum, sed quod illustret tamen rem, desumptum ab instrumento artificis; hoc enim primo ad certos usus suos rite debet adaptatum esse, sed secundo a manu artificis in motum deduci, alias iners & inutile maneret corpus. Sic musculus ita quidem comparatus est vi structuræ suæ, ut abbreviari possit & contrahi, sed necesse est, ut vis aliqua motrix ipsi accedat, alias nunquam ullum motum ab eo exspectare poterimus. Hæc itaque vis est, quæ mortuum distinguit a viuo, diuersa plane ab ipso musculo, neque adeo a glutinis conformatione petenda esse videtur, vti quidem contendit Ill. DE HALLER p). Hæc vis, vbi accedit aliquis stimulus in corpore viuo, ad agendum cietur, & hoc proprie est, quod vocamus irritabilitatem. Recte fere admonuit Cel. GAVBIUS q), stimulum

p) Vid. Mem. I. p. 82. Qu'est ce donc, qui empêche d'admettre l'irritabilité pour une propriété du gluten animal, tout comme on reconnoit l'attraction, & la gravité, pour propriété de la matière en general sans pouvoir en déterminer les causes? - - Cette propriété a une cause physique sans doute, qui depend de l'arrangement des dernières parties &c.

q) Vid. Cel. CAVB. Pathol. pag. 72.

mulum talem occasionem duntaxat esse , non adeo veram caussam contractionis , cum hæc actioni stimuli tanquam effectus minime respondeat , nec in solido vita destituto producatur.

Neque adeo interest , qualis sit ille stimulus , mechanicus , seu chemicus ; tensio , punctio , titillatio , aër ; seu aqua , seu sanguis , corpus electricum , siue non electricum , dummodo tale sit , quod tangere possit corpus . Si musculum , aut eius neruum acicula pingo , mox oritur vehemens contractio . Annon hic effectus longe superat caussam , si aciculam ut talem consideremus ? certe nulla vis talis in corporibus nota est , quæ tantum producat effectum , neque ex ipsa elasticitate hic motus deriuari potest , cuius effectus a tam parua caussa nunquam tam vehementes obseruantur . Hinc non sine ratione concludimus : illam caussam non esse corpoream , neque in mechanicis quærendam rationibus .

Quid vero obstat , quo minus cum Cel. GAVBIO & Cel. WHYTT admittamus *principium aliquod sentiens* in corpore animali , quod eo ipso se se a ceteris distinguit . Neque possum non assentiri Cel. GAVBIO r ), ubi ita dicit : Duas itaque in solido viuo concipere facultates licet ; alteram quasi *sentiendi* , qua stimuli actionem suo quodam modo percipit , alteram *mouendi* , qua se se contrahendo vim vi opponit , ac repellit veluti , quod quietis suæ statum turbat . Ita Cel. WHYTT quoque arbitratur , quod stimulus muscularis applicitus excitet eos ad contractionem , eo quod producat *sensationem molestam* in eis , aut nervis eorum .

Quomodo autem agit ista vis in corpus ? hoc nostrum  
hic

r) Pathol. pag. 73.

hic non est inquirere; Metaphysicis hæc relinquo. Sufficit nobis, nosse, esse distinctam a musculo, nullo modo corpoream, cum corporeis effectibus longe superior sit, neque adeo ex mechanicis legibus explicandam.

Exinde quoque confirmatur illa sententia: quod *irritabilitas* semper *in ratione neruorum* esse deprehendatur. Negat quidem hoc III. DE HALLER Mem. I. p. 43. vbi ita scribit: L'irritabilité est si différente de la sensibilité, que les parties les plus irritablez ne sont point sensibles, & que les plus sensibles ne sont pas irritablez. Concedendum est, differre irritabilitatem a sensibilitate; dantur enim partes, quæ quamuis maxime sensibiles, non tamen esse possunt irritablez, cum structura ad motum necessaria non præditæ sint; hoc in enumeratione partium irritabilium clare perspeximus, ita nerui, cerebrum, aliaque inter irritabilia non referri possunt. Omnes vero partes irritablez non solum semper esse sensibiles, immo etiam irritabilitatem semper esse in quantitate neruorum, mox nunc demonstrabimus.

Varia sunt, quæ huc faciunt, argumenta, & quorum quidem aliqua Cel. W H Y T T iam adduxit, qui fusius circa hanc rem, itemque vero ingeniosissime scripsit in egregio libro (*Physiological Essays*) sæpius iam citato.

a) Animalia iuniora, in quibus maxima omnium partium teneritudo est, quæ sensu gaudent multo exquisitiori, irritabiliora multo obseruantur, ita spasmi & conuulsiones a leuissima caufsa illis accidunt. In canibus grauidis, quas ob alia experimenta capienda scalpello subieceram, fœtus irritauit aliquoties, valde impatiens erant stimuli, vt in validissimos inde motus concitarentur; exempti per integrum diem irritabilitatem retinuere. E contrario, anima-  
libus

libus ætate prouectioribus, quibus sensim, sensimque sensus obtunditur, ut minus acutus sit in illis, quam in iunioribus, minus irritabiles esse fibras compertum est, & ad motum minus promtas. Quamuis enim fatendum sit, fibrarum rigiditati in hisce aliquid tribuendum esse, concedendum tamen erit, ipsis nervis etiam tale quid contingere; probabile enim est, & fere certo constat, progressu ætatis multos etiam deleri minimos nervulos. Compressio enim nervos hebetat, immo insensibiles tandem omnino reddit, ut ex ossibus appareat. Vid. MONROO's Osteol. p. 51. Hoc in tendinibus, qui sensim carnearm suam naturam exuere, & compactiores multo redditi sunt, fieri quoque credibile est, & probatur etiam a posteriori; Ill. HALLERI experimenta quippe nos docent, insensiles esse tendines.

β) Quicquid auget sensibilitatem in parte aliqua musculara, irritabilitatem eius quoque adauget. In quacunque inflammatione partis affectæ sensibilitas augetur, sed eo ipso etiam eius augeri irritabilitatem comperimus. Ita ventriculus inflammatus acutorem longe sensum acquirit; blandissimi tunc liquores vomitum excitant, singultum, cum in statu huius partis sano acetum, vel spiritus vini nunquam tales motus producat. Ita autem Cel. WHYTT<sup>s</sup>), tendines, quibus nulla alias sit sensibilitas, cum inflammati fuerint, tam sensiles fieri ad stimulum, ut validissimæ istæ conuulsiones inde oriuntur, vbi vellicati, aut alio modo irritati fuerint. Ita in inflammatione intestini recti pessimus exoritur tenesmus. In Gonorrhœa virulenta, vbi adaucta sensibilitate ab inflammatione, frequentius erigitur penis, musculi acceleratores etiam & erectores validissime

con-

<sup>s</sup>) WHYTT Phys. Ess. p. 193.

contrahuntur, ut adaugeant valde priapismum. Item in vesicæ inflammationibus a calculo, vel alia quacunque causa, vbi stranguria suborta, sphincter eius in contractionem excitatur, ut interdum etiam vicinis partibus in consensum raptis, etiam tenesmus producatur.

Annon vero indicant hæc, a sensibilitate quam maxime pendere irritabilitatem? Sed porro:

) Quicquid imminuit, aut destruit sensibilitatem in partibus, quæ fibra musculari donatæ sunt, imminuit etiam, aut destruit earum irritabilitatem.

Huc pertinet etiam, quod de senibus iam adductum fuit exemplum. Deinde vero frigus, t) vti summam partibus insensibilitatem inducit, ita immobiles quoque eas reddit: obiici quidem hic posset, a frigore nimis rigidas effici fibras musculares, quam ut ad motum amplius aptæ remaneant. Evidem hoc fit, vbi gelu iam plane constrictæ sunt, sed antequam eo vsque processerit rigor, sensibilitate iam deperdita, flecti adhucdum possunt manus, quamvis eadem imperanti voluntati non amplius obedient. Clarius vero patet in Opio, quod, dum omnem aufert sensibilitatem, tollit etiam motum & irritabilitatem in partibus, quæ alias mobilissimæ sunt. Ita, vbi ore assumptum fuerit in vomitu, tussi, tenesmo, stranguria, nouimus omnem sistere motum muscularum, qui hisce in morbis præcipuas agunt partes, vti diaphragma, musculi abdominales, sphincteres ani & vesicæ &c. Varia circa hanc rem in viuis animalibus instituta sunt experimenta, vti ab Ill. DE HALLER & Cel. WHYTT u) qui sua quisque annotauerunt.

In

t) Ita, qui sub feruidiore climate vitam degunt, irritabiliora habent corpora, quam qui longius hinc distant.

u) l. c. & Essay on vital. and oth. inv. Mot.

In eo conueniunt omnes, ab ingesto opio tolli æque sensibilitatem ac motum ventriculi & peristalticum intestinorum, etiam in ceteris musculis irritabilitatem imminui, tolli.

Iridem etiam inde immobilem factam esse vidit Ill. D E H A L L E R. v) Sed negare videtur idem Vir Ill. (pag. 83.) cordis irritabilitatem vñquam ab eo destrui posse, cum ipse nunquam illud obseruare potuerit. Aliud vero docet Cel. W H Y T T, & Cel. K A A V B O E R H A A V E w) iam animaduerterat in cane, cui opium ingefferat, cor lentissime moueri, motum in arteriis debilem valde esse & lentum. Ipse vt certior fierem de hac re, aliqua cepi experimenta: exhibui cani famelico soluti opii sat magnam dosin, quam cum iusculo carnis mox inglutivit. Post horæ quadrantem iam torpere cœpit animal, mox humi se proiicere, tandem obdormire. Dissecui tunc, duabus circiter horis elapsis, & facilis erat tractatu, nam omnis in eo deperdita erat sensibilitas, vt somno profundissimo sepultum dixeris. Aperui primo abdomen, & nihil motus in eo conspici poterat, neque in ventriculo, neque in intestinis, neque irritatione villos motus elici poterat. Aperui dein etiam thoracem, & pericardium, vidi cor pulsans quidem, sed cum summo languore, magnis quoque interuallis ab uno pulsu ad alterum: irritatum incitabatur quidem, sed paruum conatum non adiuuante natura, tandem plane defecit. In alio cane, cui longe minorem opii dosin ingeferam, post trium horarum spatium eadem fere obseruaui, sed gradu tamen differebant. Cor enim fortius aliquantum mouebatur, itemque frequenter pulsabat. Cum vix moueretur amplius hic canis, atque fere

v) Mem. II. Sect. X.

w) Impetum faciens Hippocr. dictum. §. 434. & 435.

fere nullum sensititatis signum ederet, vertebram forte secundam dorsi ipsi effregi, irritauit medullam spinalem, conuellebantur omnes musculi, qui infra istam vertebram collocati sunt, sed debilis erat, neque ullo modo tam vehementis illa contractio, quam quae obseruatur in animalibus, quae ante experimentum nihil tale passa sunt.

Imitatus quoque sum in ranis experimentum Cel. WHYTT: (p. 76. l. c.) apertis scilicet thorace & abdomen, ranam conieci in solutionem Opii; post 15 circiter horæ minuta, ubi exemi, iam omnis in ea sensus motusque cessauerat, quamuis notum sit, haec animalcula, alias sine corde, atque abscisso capite diu adhucdum moueri. Idem experimentum repetii aliquoties, inueni semper, cor æque irritabilitate sua ab opio priuari posse, quamuis non tam cito ac tam facile, quam reliquos musculos. Plane vero rem extra omnem dubii aleam ponit experimentum, quod cum ipso corde exfecto ex corpore suo instituitur. Ita ranarum corda exscissa, quae alias per horas pulsare consueuerunt, ubi soluto opio immersa fuerint, post decem minutorum spatium motu suo penitus priuantur, ut neque irritata amplius contrahantur: annon iterum haec indicant, a sensititate, adeoque a neruis esse irritabilitatem? Nervorum enim ope omnis fit sensatio in corpore, hi vero primum experimentur actionem irritantis stimuli, ut praegressa prius sensatione, demum motus producatur: non vero dico, esse nervum, qui sentit; an globus oculi est, qui videt, an auris, quae audit? hoc idem esset, ac si dicerem sentire materiam; nervi tantum sunt instrumenta, caussa, sine qua non. Ita neque nervus est, qui mouet, quamuis vis illa vitalis, seu contractilis per eum deferri videatur ad musculos. Neque mihi hic adeo sermo est de ipsa contractione musculi,

musculi, sed de vi illa, quæ contrahere facit ad stimulum; hanc vero vim non e fabricatione musculi, qualiscunque illa fingatur, petendam esse, supra iam annotavi; sed inesse principium aliquod sentiens, quod stimulum percipiat, atque deinde vim contractionis in fibra musculari excitet. Hoc expressisse videtur magnus sui temporis philosophus CICERO: x) in animum est omne, quod pulsu agitatur externo; quod autem est animal, id motu cietur interiore & suo. Nam hæc est propria natura animi & vis.

Quæ sit illa, intelligendum puto. Non est certe nec cordis, nec sanguinis, nec cerebri, nec atomorum. Cum itaque per neruos fiat omnis sensatio, itemque vis vitalis per eos ad musculum determinari videatur, non absconum esse puto, quid quod ipsi experientæ congruum, si irritabilitatem a neruis pendere, aut saltim intime cum illis conexam esse dicamus. Sed hoc magis adhuc elucescat ex sequentibus: etenim

§) Quo magis directe ipsum nerui parenchyma afficitur, quo nudior neruus, aut a propriis inuolucris orbatus, quo minus inuolutus fibris muscularibus, aut alii cuicunque parti: eo ceteris paribus maiores producuntur contractions.

Sic vidi saepius in animalibus, cum morti quam proxima essent, ubi irritauit musculum, paruas tantummodo alternas contractions & relaxations oriri, oscillari tantummodo fibras. Interdum etiam in talibus, quæ languebant iam, & quæ viribus suis fere exhausta videbantur, obseruaui, singulares tantummodo fibras, quæ irritatæ fuerant, contrahi, non integrum conuelli musculum. Vbi vero neruum lacesse in iisdem, mox in toto musculo, & vehemen-

tior

x) CICERO Disput. Tull. lib. I.

tior quidem excitabatur contractio. Neque admodum difficile explicatu erit hoc phænomenon, si consideremus  $\alpha$ ) neruum fibræ muscularis substantia aut cellulosa aliquo modo obuolutum esse, vt ægrius saltim afficiatur in animali, cui vires iamiam imminutæ sunt.  $\beta$ ) Porro! Nerus est collectio omnium eorum filamentorum, quæ ad quamvis musculi fibram distribuuntur; hinc non mirum, vbi ipse nerui truncus irritatur, vniuersam musculi compagem contrahi, cum omnes rami in trunco reuniti æqualiter afficiantur. Annon verisimile est, ita fieri quoque in motu voluntario, vbi magis æquabilis animaduertitur contractio? annon inde hoc fit, quod in voluntate, cui quidem potestatem esse nouimus vim vitalem ad agendum ciendi, eadem vis magis æquabiliter per singulos neruos ad musculum determininetur?

Fluidum electricum, quod summa sua subtilitate, qua reliquos stimulos antecellit, totum neruorum sistema penetrat, & peruidit, validissimus stimulus esse reperitur, vt horrendas producat conuulsiones, immo tam fortiter irritet neruos, vt simul eos destruere videatur, cum tollat irritabilitatem, atque veram inferat mortem. Ita quippe videamus ab electrico concussu magnas primo fieri conuulsiones in musculis, mox vero sequi paralysin, quam ipsa mors saepe excepisse visa est, nullis, saltim ad sensum signis apparentibus, nisi forte sugillatione aliqua in extima superficie eius partis, ex qua scintillæ prolectæ fuerant. Obseruauit quoque Vir Præstantissimus Dr. N E B E L, y) quo partes stimulo electrico concussæ a cerebro sint remotiores, eo minus periculi inde nasci; manifesto indicio, stimulum electricum non infestum esse corpori nisi eo, quod omne quicquid

y) Vid. Egreg. Diss. de Electricitatis usu medico, Heidelb. 1758. p. 23.

quid est medullæ in cerebro, aut in neruis, in minimis suis partibus turbetur, destruatur. 2) Quo nudiores nerui sunt in parte aliqua musculosa, eo promptior ad stimulum est contractio. Ita tunica villosa & mucus intestinorum, quibus natura cauere voluit, ne a leui quoque caussa irritarentur hæ partes, vbi hæc, dico, tunica erosa est, mucus ablatus, paratissima ad stimulum est contractio, ut pertinaces inde producantur vomitus, diarrhoeæ, dysenteriæ. In vesica quoque, vbi intima eius tunica decesserit, perpetua adest irritatio ab vrina, continuo ex vreteribus stillante; hinc non amplius retineri potest vrina, guttatum emittitur, vna contractione semper alteram excipiente.

Ita partes valde irritabiles, quibus non magna quantitas neruorum esse videtur, respectu aliarum musculosarum æquiparari videntur eo, quod neruos habeant in superficie sua multo nudiores, neque tam denso inuolucro circumdatos. An forte hæc est cordis ratio, quod omnes partes irritabilitate sua antecellit, & cui tamen pauciores sunt nerui, saltim quantum anatomia nos docet? Hoc certum est ex observationibus, facilius illud contrahi, vbi in interiore eius parte fit irritatio, quam vbi externa tantum superficies irritatur. An eodem modo fit in intestinis, quibus quoque exigua quantitas neruorum ratione ceterarum partium? Nil impedire videtur, quo minus in hançruam sententiam. Hoc Ill. DE HALLER quoque suspicatus est, 2) vbi ita dicit: Seroit-ce, parceque (de cordis eminentiori loquitur irritabilitate) ses nerfs sont plus à nud, plus près de la surface interne du cœur, & par la même plus proche du stimulus? L'anatomie ne nous donne pas beaucoup de lumiere la dessus;

2) Mem. I. pag. 76.

dessus; à moins, qu' on ne veuille se servir de l' exemple des oreillettes , qui sont en effet très minces & très irritables. Ce qui me porteroit à adopter cette explication, c'est la grande Irritabilité , qu'on remarque dans les intestins , quoique ils ayent en effet peu des nerfs , & qu'ils sont très à nud.

Irritabilitatis vero rationem principio aliquo niti superiore & sentiente, atque inde adeo explicandam esse, magis adhucdum persuadebimus , si animaduertamus , quod contractio illa, quæ irritationem excipit, nunquam stimulo videatur esse proportionata , sed potius perceptioni, a stimulo in corpore viuo excitatæ , atque contractionem prægressæ. De stimulis enim iam supra monuimus, non valde interesse, qualis sit ille , a leuissimo etiam validissimam sæpe contractionem excitari. Si plumula narium membranam irritaueris, vehemens oritur sternutatio, vnde tantus corpusculi effectus ? qualemque etiam hic potestatem physicam aut mechanicam supponere velis , certe vix ac ne vix quidem explicare volueris. Deinde etiam, si stimulum talem vt cauſam contractionis mechanicam assumseris, cur in mortuo non itidem stimulus effectus suos exserit? Sed forte fibræ a morte rigidæ & ad motum ineptæ penitus redduntur, certe hæc impedire aliquommodo possunt, & dabo quoque, ita esse. Sed cur stimulus nil valet amplius in eis , quibus opium ingestum fuit ? in his enim ratione fibrarum muscularium , earumque structuræ nihil adeo mutatum fuisse videtur; sola sensibilitas sublata, & una cum hac irritabilitas partium deleta fuit. Porro, si stimulum vt mechanicam contractionis cauſam consideremus , patet, quod regulares etiam & determinati aliqui motus ad certum stimulum sequi deberent; tales enim sunt leges me-

mechanicæ, vt data aliqua vi certus & determinatus aliquis effectus insequatur, id quod circa stimuli actionem nullo modo obtinere, multitudo experimentorum satis demonstrat.

Perceptioni vero proportionatam esse insequentem contractionem, in nobis ipsis experiri possumus. Ita dum leviter irritamus nares, orietur titillatio quidem aliqua, sed quæ non sufficiat tamen ad sternutationem excitandam; vbi augetur irritatio intensiori facta sensatione, tum demum in motus istos rapimur validissimos, vt ne resistere quidem amplius possimus. Et sine dubio eadem est ratio in omnibus motibus, qui irritatione producuntur. Discimus vero ex hisce, esse præter imperium, quod voluntati in corpus nostrum ad certos motus concessum, esse, dico, legem aliquam corpori animali viuo propriam a summo huius universitatis Rectore insitam, qua animantia, dum a corpore aliquo externo afficiuntur, non possunt non pro ratione partium affectarum exercere motum aliquem, quem nunquam voluntas inhibere potest.

Conficitur etiam exinde, irritabilitatem non esse vanum aliquod nomen, qualitatem occultam, sed esse veram legem, uniuerso animantium generi inditam, eodem fere modo, ut gravitatem proprietatem esse nouimus omnium corporum etiam inanimatorum. Illa quoque animalium proprietas essentiale regni animalis characterem, & forte infimum animantium gradum constituere videtur. Cauendum vero, ne incidamus in errorem, cui acutissimi ingenii vir DE LA METTRIE a) sed captiose admodum inhæsit, cum irritabilitatem pro fundamento systematis sui posuerit. Ipsa enim irritabilitas principium aliquod superius supponit, animam sentientem,

a) L'homme machine nos. 18 & 22.

tem, & reagentem quasi, effectu omnibus corporibus majori. Quid? quod praeter hanc proprietatem adest in anima facultas ratiocinandi, cogitandi, cui certe neque cum corpore, neque cum irritabilitate vlla est connexio. Sed mittamus hæc, cum nostri non sint instituti!

Fatendum vero est, sententiam nostram, quam cum Cel. WHYTT, & cum Cel. GAVBIO, vti videtur, communem habemus, diuersis premi difficultatibus, quibus vero oppugnandis diuersa quoque in promtu sunt argumenta. Licet autem, cum in tanta rerum obscuritate versemur, non scepticos agere, sed sequi semper probabiliora.

a) Primum dubium, quod occurrit, hoc est: Si a principio aliquo sentienti irritabilitas, cur minus tale quid experimur in motibus inuoluntariis illis, actione cordis, intestinorum, muscularum respirationi inferuentium? Cur insciis nobis hæc peraguntur? Responderi potest, multas dari actiones, quæ insciis nobis, vel potius non attendentibus, immo etiam nolentibus contingunt in corpore nostro, quas tamen nulli principio mechanico aliquis tribuerit; e. gr. si quid extranei ante oculos vagetur, mox palpebras claudimus, nescii certe, quid faciamus, itemque nolentes. Si quis veretur a titillatione, mox, vel vbi nondum tactus fuerit, inuitus in motum rapitur aliquem, qualem exferere certe antea non cogitauerat. Deinde consuetudo etiam huc facit, vt non attendamus, dantur enim tales motus in nobis, quos ipsi quidem producimus, sed non attendentes; ita dum per plateam ambulamus, non semper de eo cogitamus, quod ambulemus, aut quod ambulare velimus, pergimus tamen. Ita in actionibus istis recensitis consuetudo caussa esse potest, vt non attendamus; excitatur tamen nostra attentio, vbi maior consueto stimulus accedit ad illas partes,

partes, vti in doloribus spasticis intestinorum, in palpitatione cordis, in Asthmate. In somno quidem omnis attentio nostra cessauit, neque per sensus nostros amplius aliquid percipimus, sed hoc non in organis vitalibus, vbi continuus adest stimulus, & quorum longe alia ratio est, nam horum motus, vbi remittere inceperit, mox ita moleste afficiuntur, vt nouo stimulo adueniente mox rhythmos istos resumere cogamur.

B) Nullatenus vero sententiam tuemur Cel. STAHLII, eiusque sectatorum, qui quidem contendunt, animam certa insita prudentia corpus primo sibi ipsi exstruere, deinde omnes in corpore motus vitales & naturales ita dirigere, vti maxime consentaneum ipsi videtur, ad auertendas diuersas corpori imminentes noxas. Taceam, quæ post Cel. STAHL circa hanc rem excogitata sunt, ridicula enim valde vix responsione digna videntur. Vnde enim bruta, infantes, foetus tali modo ratiocinari possent, quibus vix adhucdum ideæ, nedum comparationes idearum competere possunt. Et si hæc essent, physiologi & practici peritissimi quique robustissimo gaudere deberent corpore, perfectissima sanitate: alii, qui forte crassiores in physiologia errores commiserint, aut penitus de vita periclitarentur, aut saltim minoribus aut maioribus incommodis obnoxii essent, quo magis aut minus a vero aberrauerint hypothesibus suis. Sed mittamus lepidam sententiam! Certo certius enim constat, voluntatis nostræ nullam esse potestatem in organis vitalibus dirigendis. Nos, dum in irritabilitate principium illud supponimus sentiens, non cogitamus de ea animæ facultate, quæ ratiocinatur in nobis, sed putamus esse id, quod vi legis insitæ, vbi valide affe-

ctum

Etum fuit, motum aliquem exferit, quasi reactionem, diuersam pro diuersitate partium affectarum.

γ) Si a principio sentiente irritabilitas, cur in partibus a corpore separatis adhucdum adest? In his enim nerui, sensationis primarium organum, ab encephalo disiuncti sunt. Evidem speciosa est haec obiectio. Certissimum tamen est, encephalon & neruos ad motum fibræ muscularis quam maxime necessarios esse, neque irritabilitatem diu persistere, vbi male illi constituti fuerint. Pauciores istæ sunt obseruationes, vbi cerebro, aut cerebello, corruptis, petrefactis, aut ossificatis per aliquid tempus vixere homines, e contrario vero multitudo obseruationum exstat, in talibus casibus, vel etiam a solo extrauersato sanguine, a sola inflammatione mortem secutam fuisse: forte in depravatis istis cerebris semper aliquid remansit intactum, & multum quoque interest, qualis encephali portio vitiata fuerit, vnam enim præ altera nobiliorem magis esse suspicamur, quamuis nondum sufficientia adsint experimenta, ut penitus exinde singularum partium utilitas aut necessitas determinari possit.

Probabile est, in encephalo atque neruis secerni aliquid quod contractionis causa physica proxima existit, (& quod interim spiritus vitales appellare possumus,) quod vero vi aliqua interna determinari debet ad musculum, quando agit ille. Annon igitur verosimile est, remanere semper aliquid spirituum vitalium in discisis neruis, qui adeo suo fungentur officio, donec dissipati, neque nouo facto affluxu priuentur facultate sua ulterius muneri suo satisfaciendi.

Sed δ) an ergo sentit neruus discissus, adeoque ab encephalo separatus? an neruus, qui penitus a corpore suo diuulsus

diuulsus est? An ideo anima diuisibilis? Et hoc quidem  
 Ill. DE HALLER occasionem dedisse videtur, vt dixerit,  
 partes maxime irritabiles destitutas esse sensibilitate. Ner-  
 uum partis discissæ non sentire volunt, eo quod ab ence-  
 phalo, vt sensorio communi remotus sit, de quo dicunt,  
 quasi in animam terminari puncto veluti mathematico.  
 Probabile quidem est, immo fere certum, apparenter in  
 cerebro, vel saltim superiores animæ facultates exerceri;  
 de voluntate quoque constat, eius imperium e cerebro  
 proficiisci, quamprimum enim neruo discisso via illa inter-  
 cipitur, perit motus voluntarius. Aliter vero res habere  
 se videtur cum principio illo sentiente, vt fere dixeris,  
 quod totam diffusa per artus mens agitet molem. Diu  
 vero quædam animalia viuere sine cerebro, sine capite  
 notissimum est, viperæ, cæcilia truncatis capitibus per in-  
 tegros dies irritabilitatem suam retinent, testudines per  
 septimanas, ranæ per totum diem sine capite mouentur,  
 quiescentes, vbi irritaueris, denuo agitantur. Galli,  
 vel gallinæ, columbæ abruptis capitibus per pavimentum  
 discurrunt. Quis vero hisce animalibus denegauerit,  
 inesse adhuc aliquam vitam, sensationem? Sed porro,  
 si viperam talem capite truncatam in duas dissecò par-  
 tes, vtraque mouetur adhucdum, irritata contrahitur,  
 si ranam quoque talem ita sectione diuido, vt priores  
 pedes cum thorace, posteriores cum reliquo truncu  
 cohæreant, itidem contrahuntur, quiescentes leui sti-  
 mulo rursus excitantur. Cur autem minus credamus,  
 adesse principium, sentiens vitale illud, vti in priori  
 experimento? Non video sane, quid obstet? Huc  
 quoque non parum facere videtur argumentum ab  
 Opio desumptum, quod, vti ore assumptum stupefacit  
 neroos,

neruos, omnemque sensum tollit, ita *in partibus quoque separatis* soluto opio immersis stuporem itidem nervis infert, sensumque atque adeo irritabilitatem aufert.

An ergo anima diuisibilis, quia in separatis partibus sentit? Evidem non puto, iustum hanc esse consequentiam, quamvis ceterum difficilia haec sint explicatu. Vti enim nec unicum punctum animae in corpore assignari potest, pro loco suo, ita neque in quavis corporis particula existere potest diuisa. Hoc saltim videtur, animam omnibus corporis sui partibus aequa praesentem esse, ac cerebro. Forte intelligerimus & haec, si melius nobis innotesceret ratio nexus animae corporisque mutui. Sed haec altioris sunt indaginis, ut neque summa philosophorum ingenia instantis dubiis soluendis hucusque aliquid praestiterint, quod veram rei lucem affuderit. Hic omnibus subsistendum!



CLARISSIMO  
**DOMINO AVCTORI**  
 DISSERTATIONIS HVIVS  
 ejusdem PRAESES.

Belle quidem in hac Tua dissertatione commentatus es de irritabilitate animali, & ingeniose admodum, ut, quod & irritet attentionem, & inuitet, inueniant Lectores; ignosce vero mihi, Botanices Professori, dum Te carpo, quod præterieris vegetabilem irritabilitatem, quam & admirari licet in fructibus quibusdam, & Mimosæ foliis; vix pressa elliptica elaterii matura poma eiacyulantur laticem amarum purgantem, Balsaminæ tam satiæ, quam silvestris luteæ matura impatiens capsula pellucida crispata diffilit ab attachu leuissimo; in spirales, dimidiatos agitur simili ratione gyros tropæoli Linnæi bacca seminalis matura; fac sentiant saltem tenera foliola Mimosæ, quam Herbam viuam, Sensitiam veram, aut Æschynomenen vocant alii, oris afflatum, aut digitorum tacturorum accessum, & contrahentur non ordinate minus, & regulariter, ac fibra Tua irritabilis animalis. Dices quidem, præuideo, scripsisse Te de irritabilitate animali, adeoque hæc exempla non ferire Te, sed nosti ex una parte, creaturas vegetabilis regni oppido multæ quo ad structuram, & vitam, mutationesque ab externis causis habere communia, uti singula naturæ regna integra varia inter se vincula obseruant, ex altera vero parte fugere Te non potest, quantum animaduersæ in creaturis unius regni mutationes, & qualitates ut cunque analogæ illustrent sœpe phænomena, quæ

apparent in creaturis alteri regno subiectis? neque satisfacit excusatio, quæ respondet: exempla hæc non tam argumenta esse irritabilitatis animalis, quam potius effectus elasticitatis, vix enim equidem id largiri de fructibus nominatis unquam possum, certe non ausim ex elasticitate sola deriuare hunc effectum, concurrit sane plurimum pericarpiorum horum determinata fabrica hæc, nec alia, cum alia multa habeamus, non minus elastica, quin & magis, a quibus tamen, positis reliquis conditionibus omnibus frustra hunc expectaueris effectum. Et hæc quidem obseruatio maiorem habet speciem in foliis mimosæ; quis tenera hæc & mollia foliola contrahit somniauerit per conditiones indicatas e sola elasticitate? Sed forte tacuisti hanc vegetabilem irritabilitatem, quod contra scopum Tuum lucem aliquam afferre, vel certe umbras offundere potuisset possibilitatis huiuscmodi phænomeni creaturarum, irritabilitatis titulo insigniti, absque Tuo principio sentiente; forsan hac agnita possibilitate veritus es, ne tam confidenter Illustri Domino DE HALLER abnegare posses, ut sedem huius irritabilitatis in glutine, fibræ muscularis elementa necente, ita & hypothesin de primo eius fundamento in scita sublimioris mechanicæ, id est, Diuinæ coordinatione partium singularum huius glutinis posito, tanquam solo & præcipuo eius fonte?

Num e regno minerali nominare quoque liceat materias, in quibus videre possemus phænomenum irritabilitati utcunque analogum, fere dubitare liceat? vix ausim buc trahere saltationes illas, ad quas armatus magnes prouocat puram ferri scobem, tenuesue aciculas, vel alios magneticarum virium lusus ad solum, quantum hactenus quidem constat, restrictos ferrum. Omitto electricitatis phænomena, quæ pariter impressionis factæ mirabiles prorsus effectus exhibent, maiores apparenter suis causis, testesque miræ actiuitatis intra corpora, e quibus emanant. Si

chemicos

chemicos quosdam reueluo liquore, Vulcani summa tortura expressos, inuenio etiam ibi passim singularia phænomena eius generis: admoue vitrum patulum, quod purum, saturumque continet salis ammoniaci spiritum alteri patent, quod habeat bonam aquam fortem, admoue ad breuem distantiam, ut non se vitra contingant, vix admouisti, & mox nascetur densa nebula, densus fumus in ea intercedit, quæ utrumque vitrum intercedit, cum ante neuter horum liquorum visibilium vel tenuissimam spiraret nebulam.

Quod vero magis in Tua dissertatione desidero, est, quod insigne admodum silentio pressisti specimen irritabilitatis ex animalibus, & insectorum classe? memini quidem, insectis in uniuersum irritabilitatem Te tribuisse summam, at, nonne nominandus etiam ex ordine hymenopterorum specifice fuisset Crabro, cuius magnam esse irritabilitatem, & huius efficaciam, vel solum Te monere potuisset prouerbium: crabrones irritare. Sed forte hoc ipsum dissuasit, ut mentionem eius iniiceres, dissuasit etiam eorum character tam genericus, quam specificus. Historia naturalis genericum ponit in aculeo punctorio simplici, cuius si sedem quæras, audis pertinere ad anum, de specifico caractere sufficiat e F. S. Linn. addidisse, quod thorace nigro se distinguat hæc apum species; intelligas ex his, quid valeat metaphora, qua crabronem eum, quem historia naturalis delineat, comparant cum homine, quem historia, & philosophia moralis atro crabronum carbone notat? non terret ibi aculeus omnis, utcunque punctarius, multoque minus, qui genera simplicitatis nota se distinguit, sed specificum ego crabronis metuo signum, id est, moraliter nigrum thoracem, sub eo enim atra continuo bile tumet iecur. Mittamus ergo crabrones hos!

Redeo ad egregiam Tuam dissertationem; fateor quidem, ea illius in me vis non fuit, ut, quod ad cardinem obiecti eiusdem attinet,

attinet, id est, primum irritabilitatis fontem, recedere possem a verbis OVIDII, quæ meam de isto sententiam ita exprimunt: **Causa latet, vis est notissima;** necdum enim hic pudet me, profiteri meam profundam ignorantiam, interim tamen omnis Te manet ex elaboratione huius thematis laus, congesisti summo cum iudicio experimenta hac facientia, neque tantum ea descripsisti solum ex aliis, sed & addidisti proprias obseruationes, notatu dignissimas, instituisti prudentes ubique periculorum comparationes tulisti de illis denique sententiam, eamque caute non minus, ac modeste, solideque talem, quæ nullo modo pungere, sed solam ita exponere veritatem posset, qua Tibi facie, formaque apparuit, quam nemini obtrudis.

Quapropter, cum ex hoc specimine solida Tua emicent studia, ego autem, qui Te intus & in cute noui, vndique perspexerim, dignissimum Te Musarum filium Doctoris Medicinæ honores ambire, impense gratulor non modo Tibi, sed & Venerando Domino Parenti Tuo, Medico Peritissimo, qui neque curis, neque sumtibus pepercit ullis, ut filium formaret tanto nomine dignum, quod adeo laudabilem studiis Tuis imposueris colophonem. Faxit DEVS T. O. M. vt digna Tuis meritis hunc studiorum finem sequatur sparta, quæ ipso Te doceat effectu, quantum iuuet didicisse fideliter artes, inuidiæ autem dentes obtundat omnes. Ita vale mihi, & me amare perge! Scripsi Nonis Nouembbris A. R. S. MDCCCLVIII.

